





364.  
18. 9779

Cap. XV. No. 369

1765, 45.

12

QVAESTIONES SINGVLARES  
CIRCA  
**DOTEM OBVENIENTES**

Q V A S

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

**D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO**

PANDECTAR. P. P. ECCLES. CATHEDR. NVMB. CANON.

CVRIA IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC.

LVSAT. INFERIOR. ET FACVLT.

IVRID. ASSESS.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. II. NOVEMBR. MDCCCLXV.

P V B L I C E D E F E N D E T

**IACOBVS FRIDERICVS MENSER**

L I P S .

---

L I P S I A E

EX OFFICINA BREITKOPFIA.



Georgius Valla

16  
22

COLLETTIONIS SINGULARIS

ORATIONUM

DOTEN ORATIONES

647

LIBERATIUS IECTORYI ORDINIS ALCATORIATI

PRAEFACTA

DE LIBR. GOTTLIEB. JONATH.

LUDOVICVS ET FRANCISCVS CLOTHIUS NVM. CVNIO

CHARIV. IN BONONIENSIS UNIVERSITATE. 1590

LIBERATIUS

IN AUDITORIO IECTORYI

DE LIBR. GOTTLIEB. JONATH.


LIBERATIUS IECTORYI

ACADEMIA TRIDIMITICAS MELISSAR

1618

LIBERATIUS

EX CLOTHIANA TRIDIMITICAE



QVAESTIONES SINGVLARES  
CIRCA  
DOTEM OBVENIENTES.

§. I.

**D**otis causa perpetua est ait Ulpianus l. i. ff. de *Iur. dot.* et cum voto eius qui dat ita contrahitur, ut semper apud maritum sit. In fauorem enim matrimoniorum, a quibus conseruatio familiarum dependebat, introducebatur substantia ad onera matrimonii ferenda apta. Quam ob causam pacta circa dotem interuenientia efficiebant modum probandi existentiam matrimonii, alias enim inter liberos naturales et legitimos, cum Romanis ignota esset copula sacerdotalis, non dabatur differentia l. 10. et 11. C. de natur. lib. Eandem ob rationem, ne dotis conditio redditatur deterior, Romani erant solliciti, et priuilegia ad quae foeminas prouocare licebat, confirmabant, *reipublicae enim l. 2. ff. de Iur. dot. interest, mulieres dotes saluas habere, propter*

A 2

quas

*quas nubere possint.* Vocabulum vero dotis, dum in se consideratur, latiorem recipit significatum, et ad alia negotia applicatur. Quis enim ignorat penes scriptores latinos animi corporisque bona dici dotes. Quem fugit Iure Canonico cap. sicut X. de consecrat. obuenire dotes ecclesiarum vel facillorum. Antequam enim exstribebatur ecclesia, dos tanquam peculium ei assignari debebat, unde ecclesiae fructus, nec non clericis ad escam et vestitum necessaria facile suppeditari poterant c. piae mentis 31. C. XVI. Qu. 7. et qui eiusmodi ecclesiam fundabat eique dotem conferebat, ius patronatus et offerendi rectores consequebatur, c. de decernimus 32. C. XVI. Qu. 7.

## §. 2.

Ex aduerso si relative respectu scilicet habito ad matrimonium vocabulum dotis considerare velimus, alium recipit significatum, vel in abstracto, vel concreto. In priori dicitur ius, quo res aliqua dotalis est l. 71. §. vlt. ff. de condit. et Demonstr. nec non ius repetendae dotis soluto matrimonio l. 1. §. 9. ff. de dot. prael. in hoc vero denotat ipsam rem, quae marito intuitu matrimonii infertur, et sic definiri potest per rem, quae ab uxore vel alio, marito ad onera matrimonii eo melius ferenda datur. Non solum vero res sive mobiles sive immobiles, sed etiam quantitates, immo iura constituant dotem, hinc vpusfructus teste Vlpiano l. 7. §. 2. ff. de Iur. Dot. in dotem dari potest. Obiiciet forsitan aliquis, genus in hac definitione haud esse adaequatum, cum ex praemissis et quantitates efficiant hanc substantiam, sed respondemus, nullum vocabulum commodius inueniri posuisse, cum res generis loco ponatur et reliquas species sub se comprehendat, eius enim appellatio l. 25. ff. de V. S. latior est, quam pecuniae et etiam ea quae extra computationem patrimoni-

*trimonii nostri sunt, continet, cum pecuniae significatio ad ea referatur, quae in patrimonio sunt. Diuersae sunt species dotis, de quibus pariter ac personis quae hanc substantiam constituant, cum de vtroque ex systematibus iam abunde constet, generaliter nil monebimus, sed tantum quaestiones singulares in foro obuenientes tractabimus.*

Prima quæstio sit hæc: utrum pater filiae, quæ habet bona, dotem dare teneatur. Communiter necessitatem dandi hoc in casu negant, ex ratione, quia filia sine patris auxilio honestam conditionem nubendi inuenire potest, et exinde defendunt sententiam, patrem in subsidium tantum esse obligatum *Mencken in Pand. ad Tit. de Jur. dot. §. 5.* Pro coloranda causa prouocant ad fauorem alimentorum, et cum *I. 5. §. 6. ff. de agnosc. et al. lib.* pater ab onere alimentandi filium, qui se exhibere potest, dicatur immunis, ob paritatem rationis idem iudicium de dote ferendum esse putant. Patrocinium, huic sententiae quoque conciliare videtur ius antiquum, secundum quod praeter dotem foeminae nihil plerumque in bonis habebant *I. ult. §. 1. C. qui potior. in pign.* neque enim viri mulieres nimium volebant ditescere, ne insolecerent. *Cuiac. lib. 27. Paul ad Edict.* cuius rei testis est lex Voconia de coercendis mulierum haereditatibus: unde etiam patres plerumque eas exhaeredabant, sola dote eis relictâ pro modo facultatum et dignitate familie cum suæ tum mariti *I. 10. §. ult. ff. de alim. leg. I. 64. §. ult. ff. de rei vindic.*

#### §. 4.

Sed haec argumenta quamvis speciem veritatis mereri videantur, nondum tamen iudicium omni exceptione quod est maius efficiunt. Ab alimentis enim eorumque praefasta-

tione ad dotem non valet consequentia, cum utriusque diversa sit obligatio, illa suppeditare tenetur pater, quem iustae nuptiae non demonstrant, dummodo filium non neget, hinc stupratori incumbit hoc onus, est enim naturalis obligatio, quae matrimonii non solam habet rationem, ast necessitas dotandi incumbit tantum patri, quem secundum ius civile, ut liberos naturales a legitimis separamus, ita vocamus. Et ut rem clariorem reddamus, ad caussam principalem, ex qua effectus dotandi fluit, est respiciendum. Caussa vero est sine dubio patria potestas, ex hac ratione nec auus nisi neptem in sua haberet potestate, nec mater ad dotoandam filiam in regula adstringitur. Ex his praemissis fluit principium; dotem esse debitum legale, i. e. tale, quod leges patri vi patricae potestatis iniungunt. Probat hoc Marcellianus l. 19. ff. de Rit. nupt. qui parentes liberos sub potestate habentes nulla distinctione adhibita vtrum sint diuties vel pauperes, dotare cogit, et ut iudices hac in re officium interponant, praecepit. Pariratione confirmat hoc Iustinianus l. 7. C. de dot. promiss. qui expresse dicit, omnino paternum esse officium, dotem vel ante nuptias donationem dare pro sua progenie ratione in verbis posterioribus addita, ut scilicet puro nomine et liberalitas et debitum suam sequantur fortunam. Quod si itaque pater respectu dotis in legibus dicatur debitor, huic vero non prodeesse possit, an debitor egeat nec ne, cum solummodo quaeratur, vtrum debitum de iure possit exigiri, quid interest quae sit patris, vtrum filia propria habeat bona. Quemadmodum enim peculium aduentitium, quod possidet filia, patrem a praestatione legitimae, quia est debitum necessarium, quod leges iniungunt, non liberat, ita ob similem rationem nec diutiae filiae patrem immunem efficiunt a constitutione dotis.

## §. 5.

Altera quaestio est haec: an sponsa quae sponso intuitu futuri matrimonii quantitatem certam dedit, respectu eius hypothecam tacitam in bonis sponsi sibi vindicare possit. Dicit equidem Vlpianus *l. 3. ff. de Jur. Dot. Dos sine matrimonio esse non potest: ubique igitur matrimonii nomen non est, nec dos est, ad quod etiam Imperator Iustinianus l. unic. §. 1. C. de rei vxori art. cum ex persona mariti, quam vxoris tribueret hypothecam tacitam respexisse videtur.* Hanc ob causam secundum praxim hodiernam in concursibus creditorum vxori intuitu dotis illatae, si nullum superfit dubium a die nuptiarum hypothecam tacita cum iure praelationis tribuitur. Ast si ex ratione iuris rem paullo penitus considerare velimus, alia amplectenda erit sententia. Ratio cur leges hypothecam tacitam concederunt uxori, certe ea est, ne foemina ex administratione bonorum, quæ competit marito, sentiat praeciducium, cum expressam cautionem ut exigeret reverentia non permittit, nihilominus tamen prospiciendum erat dotibus, quarum conseruatio interesse publicum tangebat. Quapropter Imperator Iustinianus in citata lege unica concedens tacitam hypothecam, ab administracione rerum pupillarum desumebat argumentum. Ex rationis idenditate applicamus legem *quotiescumque enim ait ICtus l. 13. ff. de Legib. lege aliquid unum vel alterum introductum est, bona occasio est, caetera, quae tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione vel iuris actione suppleri.* Ratio vero circa tacitam hypothecam respectu dotis competentem non solum ad vxorem, sed et ad sponsam iure applicari potest, cum utraque persona intuitu matrimonii offerat substantiam. Fingas casum. Titia cum instaret matrimonium breui ante tempore sponso, qui meliorem reddere poterat condicionem, tria millia thalerorum quae alias die nuptiarum intulisset,

lisset, dotis loco dedit, quam summam sponsus dotis loco intuitu futuri matrimonii accepisse profitetur. Ante consummationem matrimonii decedit sponsus, et post eius obitum existit concursus creditorum. Ad qualem nunc classem referenda erit petitio sponsae. In diuidicanda haec quaestione necesse est, ut ad debitum respiciamus. Mutuum non existit, ipse enim sponsus confessus est dotem, nullaque legge est cautum, ne dos ante matrimonium detur. Id enim quod in iure dicitur, dotem scilicet non existere sine matrimonio, ideo tantum est dispositum, ut differentia inter concubinatum et matrimonium sit certa, quae alias cum non in visu esset copula sacerdotalis, haud poterat cognosci. Nec obstat lex supra citata 3. ff. *De iur. Dot.* praemissa enim docent Vlpianum de matrimonii que iure non possunt consistere, disseruisse, et ad hunc casum principium subsequens quod se. dos sine matrimonio esse nequeat, applicasse. Cum itaque sponsus ex sua confessione debeat dotem, cur denegandas sint beneficia dotibus competentia, non dari potest ratio, potissimum cum legis auctoritas, quae vult ut ob fauorem publicum et ut foeminae honeste nubere possint, dotes conseruentur, sibi vindicat locum. Nec laeduntur aequitatis regulae, quamvis alii creditores posteriori collocantur loco, sufficit enim sponsam versari in bona fide, et bona quae vere ad onera matrimonii ferenda pertinebant, administrationi sponsi commisisse.

Tertia quaestio in eo versatur, an foeminae in bonis dotem promittentis competit ius tacitae hypothecae. Si non omnes, certe tamen plurimi, profitentur, hoc ius tantum marito esse concessum, eamque opinionem tanquam sententiam, omni exceptione maiorem ex l. vn. §. 1. C. *de Rei uxori. action.*

pro-

probant. Sed si ipsa legis verba paulo accuratius considerare velimus, Imperatorem de restrictione huius beneficij non cogitasse liquido constabit. Iustinianus in principio §. 1. huius legis generaliter dicit, *plenus subueniendum esse dotibus*, quo ipso demonstrat, fauorem dotis tantum esse, ut in omni casu eius conseruationi et securitati sit prospiciendum. Succurendum vero non solum est marito, sed etiam vxori, quippe cui idem, imo fortius ius circa dotem competit. Quamvis enim constante matrimonio administrationem & vsumfructum sibi in regula vindicet maritus, dominium tamen vxori semel adquisitum non desinit, sed effectus tantum sunt in suspenso, quam ob caussam soluto matrimonio vel mortuo marito substantiam vindicat & repetit: nec quod legum subtilitate transitus rerum dotalium in patrimonium mariti videatur fieri, ideo rei veritas deleta et confusa est. *l.30. C. de Dot. Promiss.* Quid quod Iustinianus in supra citata lege unica contra opinionem Doctorum sententiam expressis verbis constitutus: Ait enim; *quemadmodum in administratione pupillarium rerum et in aliis multis iuris articulis tacitas hypothecas inesse accipimus, ita Et in huiusmodi actione damus ex utroque latere hypothecam, sive ex parte mariti pro restituzione dotis, sive ex parte mulieris pro ipsa dote praestanda vel rebus dotalibus eiusdem, sive ipsae principales personae dotes dederint, vel promiserint, vel susceperint, sive aliae pro his personae.* Ultima huius propositionis verba rem decidunt, dum enim Imperator hypothecam intuitu dotis tam intuitu personarum principalium, quam earum, quae dotem promiserunt concedit, non distinguit utrum maritus vel foemina promitterent conuenire velit, sed tantum id requirit, ut dos cuius gratia securitas desiderabatur, sit promissa, quo facto, beneficium legale circa quod versabatur interesse publicum obtinebat locum. Cum itaque lex in genere personis ad quas dos

B

vel

vel ratione dominii vel alias iuris spectat hac in parte auxilium praestat, lege vero non distinguente nec nostrum sit ut distinguamus, nulla dari potest ratio; cur marito soli exclusa foemina contra promittentem actio hypothecaria competit.

## §. 7.

Alia obuenit quaestio: vtrum maritus, qui constante matrimonio passus est, vt foemina bona illata administraret, et vsumfructum percipiat post eius mortem ab heredibus vsumfructum cum effectu petere possit. Constat equidem, quemlibet fauori pro se introducto renunciare posse renunciantemque facto suo contrauenire non posse, cum ad femel renunciata non detur regressus. Fit vero haec renunciatio vel expresse litteris aut verbis, vel tacite facto nempe interueniente, et posterior modus effectum validum producit, taciti enim secundum leges et principia iuris eadem est virtus ac expressi. Quod si itaque maritus constante matrimonio administrationi quam foemina circa dotem retinebat non contradixerit, quod tamen cum effectu et assistentibus legibus facere poterat, insimulque etiam vsumfructum ex natura dotis sibi competentem reliquerit vxori, oneraque matrimonii ex propriis bonis praefliterit, hoc facto liquido demonstrauit, quod iure suo vti noluerit, et sic tacite renunciationem factam esse nemo est qui dubitabit. His ita comparatis frustranea videtur actio contra heredes instituta, quippe qui opposita exceptione pacti de non petendo pariter ac remissionis, quae ex ipso libello naturam litis ingressum impedientis adquirit eius intentionem infringere penitusque elidere possunt. Haec quamvis in regula speciem veritatis mereantur, in praesenti ramen casu adlicationem haud admittunt, sed natura et qualitas negotii quod tractamus, aliam requirit decisionem. In contra-  
hen-

hendis nempe pactis ad id principaliter est respiciendum, ne leges et regulae aequitatis ledantur. Ea etenim pacta quae neque dolo malo, neque aduersus leges, plebiscita, Senatus Consulta, Edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, tantum seruat Praetor. *l. 7. §. 7. ff. de Paſt.* Renunciatio mariti circa administrationem dotis pariter et perceptionem vſusfructus, quam tacite a marito factam esse colligimus, sine dubio hisce conuentionibus, de quibus cogitauit Praetor aequitatis iudex est adnumeranda. Pacta enim quatenus dotem afficiunt, si conditio dotis fiat deterior *l. 16. ff. de Paſt.* Dot. aut quoties mulierem reddunt indotatam carrent effectu, ex qua ratione Ictus in lege *4. ff. de Paſt.* Dotatib. conuentionem quod vſusfructus in dotem conuertatur inualidam pronunciat. Idem quod Vlpianus de hac conuentione sentit, et dici potest de renunciatione amarito intuitu perceptionem fructuum, facta, dum enim vxor fructus dotis, quae alias marito ad onera matrimonii ferenda datur, sibi retinet, vere est indotata, et quasi nunquam intulisset dotem censetur. Quod si itaque eiusmodi conuentionem leges ciuiles non probant, potius prohibent, sine dubio mariti renunciatio erit nulla, et quoenam tempore poterit reuocari, nec morte vxoris mutatur cauſa, cum actio iure contra defunctum competens, etiam eius stringat heredes, qui ad facta praefenda ex natura et qualitate successionis sunt obligati.

## §. 8.

Vltima quaestio eo tendit, vtrum res ex pecunia dotali adquisita pertineat ad vxorem, et res dotalis fiat. Negatiam amplectimur sententiam eandemque partim ex principio iuris, quod res in locum pretii non succedit, partim ex legum dispositione defendimus. Ad hanc spectat decisio Diocletiani et Maximiniani, qui lege *12. C. de Dot.*

12 QVAEST. SING. CIRCA DOT. OBVEN.

*Dot. Promiss. sequentem in modum pronunciant. Ex pecunia dotali fundus a marito tuo comparatus non tibi queritur, cum neque maritus vxori actionem emti possit acquirere, at dotis actio tibi tantum competit.* Probant in hac lege Imperatores ad vxorem dominium rei ex pecunia dotali comparatae non spectare, sed hypothecam tantum tacitam, quam leges in bonis mariti concedunt, in hoc fundo locum habere, id quod verba, *dotis actio tibi competit*, satis liquide demonstrant. Illi qui contrariam eligunt opinionem prouocant ad legem 54. ff. de Iur. Dot. vbi Caius expresse dicit: *Res quae ex dotali pecunia comparatae sunt, dotales esse videntur.* Sed nihil ineft legi, quod aduersariorum sententiae possit patrocinari, non enim asserit ICtus rem ex pecunia dotali adquisitam vere talem esse, sed tantum videri, per quod vocabulum summodo indicatur ius, quod vxori propter fauorem dotis in eadem re competit, et ita lex cum rescripto Imperatorum, secundum quod tantum actio dotis datur conuenit. Nec obstat l. 55. ff. de Don. int. vir. et vxor. Paulus enim in eadem lege agit de donatione ab vxore marito facta. Haec ipso iure est nulla, et quoconque tempore in regula potest reuocari. Quod si itaque ex pecunia donata acquisuerit rem maritus et ad inopiam sit redactus, impossibile est repetitio pecuniae, ast quia res extat, quam non suo sed vxoris nomine adquisiuisse censemur maritus, vxori eius dominium attribuitur, hinc ICtus vtitur ratione, *cum pecunia mulieris res comparata extet.* Ex his vero facile appetet legem differere de casu singulari, eo quo regula generalis desumi non potest.



**ULB Halle**  
007 469 896


3



VD18







Capp. XV. No. 380  
1765, 45.

TONES SINGVLARES

CIRCA

# OBVENIENTES

Q V A S

ORVM ORDINIS AVCTORITATE

R A E S I D E

## OTTLIEB ZOLLERO

ECCLES. CATHEDR. NVMB. CANON.

ROVINCIA SVPREMAE, IVDIC.

INFERIOR. ET FACVLT.

IVRID. ASSESS.

## TORIO ICTORVM

NOVEMBR. MDCCCLXV.

I C E D E F E N D E T

## FRIDERICVS MENSER

L I P S .

L I P S I A E

CINA BREITKOPFIA.